



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Symmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Imprudentiæ peccatum ex inconsideratione inductum negligentiae potest  
attribui, & ideo damnabile est.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41716**

*naturalem destruit honorem.*

**I**ncestus (quo inter consanguineos seu affines carnalis fit commixtio absque dispensatione matrimoniali) peccatum est mortale inter grauiora, propter naturalem reuerentiam naturalemq; foedus violatum. Et sicut ad incestus crimen spectat etiam sine opere consensus in consanguineam seu affinem: ita ad incestus speciem spectant impudicitiae & carnales commixtiones impuberum personarum, si consanguinitate aut affinitate sunt iunctae: quoniam & sunt huiusmodi actus ut via ad consummatum incestum, & multo propinquius quam cogitationes ad incestum, ordinantur quantum in se est consummandum licet ex impotentia aetatis non consummetur.

*Imprudencia peccatum ex inconsideratione inductum negligentiae potest attribui, & ideo damnabile est.*

**I**nconsideratio agibilium humanorum quantum ad eas condiciones quas potest & debet homo talis considerare, peccatum est imprudentiae, siue sit voluntaria ex intentione, quia scilicet noluit considerare, siue ex negligentia, quia non adhibuit suam diligentiam ad considerandum illa quae consideranda erant. potest autem esse peccatum mortale, quando scilicet est respectu eorum quae sunt de necessitate salutis facienda, dicenda, appetenda, cauenda &c. Veniale autem quando respectu aliorum. Et haec intellige de consideratione consummata: hoc est procedente ad voluntarium actum male consideratum, in quo est inconsideratio contrariè: vel non consideratum, in quo est inconsideratio priuatiuè.

*Aduerte tamen, quod si contingat aliquem ex sola*

X 5

*inconsi-*



inconsideratione actuali facere opus aliquod quod scit esse prohibitum, & si tunc actualiter adverteret ad id quod scit, non faceret, excusatur à mortali: ut si quis non considerans hodie esse festum, emit aut vendit: vel non considerans esse diem ieiunii, comedit &c. aut non advertens contractum esse usurarium, facit illum &c. Et ratio horum & similium est: quia non videtur esse in potestate nostra occursum omnium, quæ scimus in iis quæ quasi sine discussione operamur. Et multò magis excusatur ille, qui meditatus quantum bona fide credit oportere, inuenit se post factum opus aut datum consilium considerationem omisisse, peccatum enim mortale præter intentionem valde difficile, contra intentionem verò impossibile est accidere: in proposito autem & præter intentionem manifestè est, contra intentionem videtur esse.

*Actus inconstantia vitiosi sunt & damnabiles.*

**I**nconstantia (qua homo à bono ac debito proposito recedit non exequendo illud) peccatū est: quia à recta rationis ordine declinat. Est autem mortale vel veniale peccatum iuxta materiam subiectam: nam si inconstans omittit ea quæ sunt de necessitate salutis, peccat mortaliter: si verò aliàs debita, peccat venialiter. Et si inconstans ex inordinata aliqua passione amoris vel rancoris omittit propositum prius bonum aliquod supererogationis, peccat quoque venialiter, quia inordinatè desistit à bono proposito.

**I**ncontinentia (qua homo rectam habens intentionem vincitur à concupiscentia delectabilium carnalium aut honoris, aut iræ) peccatum manifestè, est personarum non omnino malarum, quæ habituarè sunt in malo luxuriæ, ambitionis, iræ & huiusmodi.

modi